LUDOUICI REGII CONSTANTINI SELECTIORES ALIQUOT EPISTOLAE

Louis Le Roy

Digitized by Google

1.890

LVDOVICI REGII CONSTANTINI SELECTIORES ALIQVOT EPISTOLAE.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ΠᾶΝ ΔΕΝΔΡΟΝ ἈΓΑΘΟΝ ΚΑΡΠΟΥΣ ΚΑΛΟΥΣ ΠΟΙΕῖ

PARISIIS,

Apud Federicum Morellum, in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.

1559.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAVTVM est auctoritate Henrici II. Francorum Regis, ne quis alius præter Federicum Morellum, hasce Ludouici Regij Epistolas, ante sexennium ab hac prima editione excudat, né ue uendat. Qui secus fecerit, libris, & pœna in sanctione æstimata mulctabitur. Priuilegium Parisiis irrogatum ac consignatum, die Aprilis decimo, Anno M. D. LIX. Subscriptum de consilij sententia,

DE LVC.



EDOARDO. VI. ANGLORVM REGI, LVDOVICVS REGIVS S. D.

*ETsi Britannia gentium nulli postferenda est, siue ubertatem soli, & commoditatem maris, & cæli temperiem spectemus, siue fortitudinem hominum & præstantiam artium quibus referta est, siue nobilitatem & antiquitatem regnorum, quibus decoratur: tamen ex tot eius laudibus nulla est aut amplior aut illustrior, quàm quòd te regem hodie nacta est, cùm probitate & pietate maximè insignem, tum uerò supra ætatem, supra consuetudinem aliorum huius memoriæ principum, omni politiore humanitate, & linguarum uariarum cognitione præditum. A*c *cupieram quidem anteà sæpius huc uenire, ut situm insulæ, ac genus hominum nossem, & quibus uterētur institutis: sed mihi usque ad hanc diem impedimento fuerunt cùm occupationes priuatæ, tum bella quæ inter utramque gentem diuturna fuerunt.* Nuper *autem fœdere inter te &* Henricum *regem icto, post* Bononiam *receptam, cùm* Proceres *nostri qui confirmãdæ pacis gratia huc uenerãt,*

multa de tua indole uerè regia prædicarent: hoc magis incensus sum, non cupiditate solùm lustrandæ regionis, sed etiam admirabili fama incredibilium uirtutum tuarum. Ac demũ huc profectus, & ad te deductus, omnia quæ tribuerentur, tuo merito maiora, quàm aliorũ prædicatione, facilè perspexi. Quæ ego pluribus uèrbis efferrem, nisi exploratum haberem te esse ea bonitate naturæ, ut eiuscemodi laudes non aucuperis: atque ita à doctissimis præceptoribus institutum, ut has tantas corporis atq; animi dotes, quæ in te iam mirificè elucent, Deo, *cuius est uera & solida gloria, feras acceptas. Cæterùm si parum cumulatè gratias agere tuæ maiestati uidear pro præstanti munere quo me donasti, quæso ne meæ potius naturæ, quàm magnitudini eius beneficij tribuas. Quam tamen debeo grati animi sedulitatem, perpetuò præstabo, & qualibuscunque scriptis meis accepti beneficij memoriam testabor.* Vale. Londini, X. Cal. Febr. M. D. LI.

CAROLO LOTHARINGO PRINCIPI ET CARDINALI LVDOVICUS REGIVS S. D.

VEreor ne qui me modò uiderint ad amplitudinem tuã meis officiis colendam uenire, arbitrentur secutum magis hãc præpotentem florentémque gratiam, quàm eximiam tuam singularémque uirtutem. Solent enim homines, qui suis commodis non honestate amicitias metiũtur, illis potissimùm inseruire, à quibus expeditam fore uident remunerationem, atque eorum gratiam cupidissimè aucupari, quos Regibus esse charissimos, aut in rep. primas tenere cernunt: ut ex eorum auctoritate præsidia periculis, & honoribus adiumenta quærãt. Ego uerò tametsi intelligo te apud Regem gratia & auctoritate plurimùm ualere, tuæq; opis indigeo maximè, nunquam tamẽ adduci potui, ut pluris gratiam, opes, dignitatem, nobilitatémq; tuam æstimarem, quàm ingenium, eruditionem, & ad res gerendas innatam uirtutem. Videre licet alios quibus eadem à natura fortunáque adiumenta contigerunt, ea ipsa nõ ad communem utilitatem (ut par erat) conferre, sed totos sese libidinibus dedere, uirtutes omneis aspernari, fastidire remp. per luxũ atque ignauiã ætatẽ agere, dedecorantes præstantiã generis & dignitatis. Tu uerò cùm à puero persuasum haberes, optimũ quemq; patriæ natũ, uirtutem primã aut solam expetendã, nihil hominem nisi quod honestũ decorúmq; sit, uel admirari, uel optare

oportere, te ad remp. & ad res magnas gerendas accõmodasti, & laboriosam uitam tibi quidem ipsi non necessariam, sed certè hominum generi fructuosam, ociosæ quietæq; prætulisti. Itaque effecisti ut magnum in te positum nostræ ætati ornamentum, afflictisque optimis artibus certissimum præsidium sperent omnes. Ac sanè doleo non licuisse adhuc declarare quantum meum studiũ extaret uel colendæ tuæ uirtutis, uel obseruandæ dignitatis. Sed pudor meus, grauissimæq; occupationes tuæ hanc officij cessationem ac potius tarditatem attulerũt, quam tamen posthac omni diligentia atque assiduitate erga te sarcire conabor. Nuper autem cùm conuertissem è Græco sermone in Francicum Institutionem Cyri ex Xenophonte, & duos Isocratis libellos, quorum unus est de regno, alter de principis ac populi officio in rep. coniungendo, eósque Regi (quoniam initio principatus mirificè congruere uidebantur) offerendos putarẽ, te unum ex omnibus eius intimis ac familiaribus potissimùm delegi, cuius uerbis munus illud meũ ornari ac tanto principi commendari maximè uellem. Satis constat inter omneis nihil extare in hoc genere scripti, quod sit cum his libris uel uerborum elegantia, uel sententiarum pondere, uel utilitatis ubertate comparandum. Quos ego an uerbis ad consuetudinem nostram aptis rectè expresserim, tute mihi iudex esse optimus poteris. Et quoniam multum est positum in amicis ac familiaribus Regum, ut hæc & similia munera æquioribus uel iniquioribus animis ab illis accipiantur, à te maximoperè peto & quæso

314

quæso, ut ex tanto dignitatis honorisque fastigio auram aliquam commendationis nouo clienti uelis afflare. Videmus stirpes quæ natura caducæ sunt, easdem ut se erigant, clauiculis suis quicquid nāciscuntur amplecti, cæteráque omnia, quæ per se firmitatis habent minimum, semper ad aliquid, tanquam adminiculum, adniti. Quo minus reprehendendi sunt homines tenues, & quicunque minimum habent uirium, si ad claros & potentes uiros se conferāt, quorum præsidio nitantur, ut quod per se minus ualent, id ab illis accipiant. Quòd si gloriosissimum semper fuit tui ordinis hominibus tueri atque ornare illos in quibus spes aliqua ingenij eluceret, noli obsecro dubitare, Princeps illustrissime atque antistes optime, similem illi gloriæ laudem quàm sæpissimè quærere: eóque magis, cùm is sis qui omneis alios quibus nobilitate aut honore par es, uirtute & sciētia uincas. Vale. Remis, mense Iulio, M. D. XLVII.

PETRO STROSÆ MARESCHALO FRANCIAE LVDOVICVS REGIVS S. D.

S*Anè quàm grauiter molestéque tuli tam subitam fuisse ex hac urbe tuam profectionē, ut pro eo ac debebam, abeunti tibi præsens bene precari non potuerim, ac ne salutare quidem licuerit quemadmodum iusseras, & ego maximoperè cupiebam. Quod autem hoc tempore, quo à te*

locorũ interuallo, & bellorum necesſitate diſiungor, ſtudium relictum eſt dignitatis tuæ colendæ, omni mea cura prouidebo, ut quàm maximè extet: & ut ſcribendis crebrò literis, ſi modò id officij gratũ tibi perſpexero, ac memoria ſubinde repetendis tuis uirtutibus eximiis, quoad eius fieri poſsit, præſentiæ tuæ deſiderium minuatur. Quanquàm uerò bellicæ laudes tuæ iampridem in luce Europæ, & in oculis auribúſque omnium uerſantur: tamen pro mea ſumma erga te obſeruantia non poſſum nõ confiteri, cumulari me magno gaudio, quòd uideam te rebus gerendis ſocium adiungi D. Guyſio, omnis memoriæ maximo Duci, & eſſe cum tanto uiro non arctiſsima modò beneuolentiæ neceſsitudine, ſed etiam conſiliorum omnium ſocietate coniunctiſsimum: ſegetem quidem, ac materiem certæ oſtentãdæ iſtius fortitudinis nouam ſemper ſuppeditari mirificè lætor. Tantam tamen in militari homine eruditionem, tam incredibilem utriuſque linguæ peritiam, tantum ſtudium cognoſcendi ſemper aliquid aut diſcendi uel in medio militum clamore, ac tubarum ſono, tacitus prçterire nullo modo poſſum. Nam cùm omni literarum generi, tum philoſophiæ, cui multũ adoleſcens diſcendi cauſa tribuiſti temporis, in primis deditus: quantum ſupereſt belli & reipub. temporibus, id omne conſumis in legendo atque ſcribendo. Ac ſuſcepiſti laborem utilem certè tuæ gentis hominibus, & tibi quidèm ipſi honorificum, Cõmẽtarios Cæſaris, quibus nihil extat in hoc genere ſcripti elegantius, in Tuſcum ſermonem transferendi. Quòdque magis mirum uideri

poteſt,

potest, sed hoc ingenio, memoria, scientia & usu rei militaris dignissimum, historiam Henrici *regis nostri potentissimi inuictissimique meditaris*. Magnus *ipse* Dux *in omni belli genere, præliis, oppugnationibus, naualibus expeditionibus, omnique bellico apparatu. Quis enim nostrorum temporum consilia atque euentus, quis causas publicorum dissidiorum, rerum gestarum, progressiones, atq; pugnas, aut accuratius explicare, aut maiore testimonij auctoritate literis mandare possit, quàm tu, qui illustrioribus nostræ memoriæ bellis,* Britannico, Germanico, Belgico, Hetrusco, Romano, Parmensi *non interfuisti solùm, sed etiam præfuisti? Quod opus si absolueris, tandem aliquãdo nostræ ætati testatum facies, multum interesse utrum historiæ scribantur à belli rerúmque gerendarum gnaris, uel ignaris*. Nam *sæpenumerò mirari soleo tum istorum inscitiam, qui tãtæ rei magnitudinem ac difficultatem animo non satis perpendunt, tum uel maximè qui imparati à reliquis rebus quæ sint propriæ historiæ componendæ, ad scribendum se conferunt: cùm nunquam hostem, nunquam castra uiderint, nunquam deniq; ullam partẽ publici muneris attigerint. Quamobrem gaude tuis istis tam excellentibus rarisque bonis, & fruere gloria: quæ florescet quotidie magis ac magis, sempérque uiuet in hominum mentibus ac sermonibus, multis & præclaris scriptis, cùm tuis, tum alienis, ad omnem memoriam commendata*. C*æterùm quod uelle & optare in primis debeo,* Deum *opt. max. precor, ut in tot tantisque periculis sine periculo uersari possis, tum*

uerò ut huc breui redeas saluus & incolumis bello ex sentẽtia cõfecto. Postremò *de me sic existimes ac tibi persuadeas uelim: nihil esse tibi tam promptum, támque paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad tuam amplitudinem pertineant, operam, curam, diligentiámque nostram.* Vale. *Lutetiæ* Parisiorum, *Idib. Iuniis,* M. D. LVIII.

IOANNI BERTRANDO
CARDINALI SENONENSI
LVDOVICVS REGIVS S. D.

NON *ego libenter pro plurimis tuis erga me beneficiis, hoc uili munere defungor orationis: sed quod mihi in hac ingenij fortunæq; tenuitate reliquum est, tuebor omni uita quàm potero diligentissimè, ut præsens obseruantia, absens literis me tibi gratum memorémque præstem.* Non *stetit per te quominus essem ornatior, qui toties de meis commodis cum* Rege *egeris.* Nondum *tamen labor hic noster à prima ætate in literis uersatus, ex benignitate principis præsidium ullum firmũ consecutus est: nondum exoptanti mihi, ac tantoperè cupienti, fructus ocij datus est ad celebrandas optimas arteis, quibus & natum & deditum me sentiebam.* Quanquam *in his difficultatibus temporum, & asperitatibus rerum, quantũ uel per iniquitatem fortunæ, uel imbecillitatem ingenij licuit, in colendis literis potissimùm elaboraui.* Non *me tenuitas*

316

nuitas rei familiaris, non deplorata toties ualetudinis grauitas debilitauit, non laboris magnitudo retardauit; non raritas aut exiguitas præmiorum reuocauit, quo-minus mihimetipsi in hac uoluntatis perpetuitate con-stare. Quòd si in tanta occupatione Aulæ *atq; uitæ, nul-lum maioris operæ precium adhuc feci, si fructus studio-rum aut optatis meis, aut expectationi ab initio concita-tæ non planè responderunt, non tam culpandus quàm fortaßè miserãdus sum.* Ἡ μὲν γὰρ παιδεία, ὥς φησι Λουκιανός, δεῖται καὶ πόνου πολλοῦ, καὶ χρόνου μακροῦ, καὶ τύχης λαμπρᾶς, καὶ δαπάνης οὐ σμικρᾶς. E*quidem expecto quotidiè prosperum aliquem fortunæ flatũ, qui post tot exantlatos labores tanquam ex longa nauigatione, in portum doctrinæ ac tranquillitatis perueheat, optatum illum quidem ian-diu, sed multa uarietate temporum toties interclusum.* Q*uò tamen nunquam perueniam sine commendatione eorum qui auctoritate & gratia apud* Regem *ualent.* D*ifficile est loqui, & non nescis quid uelim, sed dicatur necesse est.* τὸ γὰρ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινὶ αἰσχρὸν, ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον, κατὰ Θουκυδίδην. Q*uamobrẽ quoniam tantoperè faues optimarum artium disciplinis, & nobis, quod in summi honoris loco numero, tam benè cupere ui-deris: à te maiorem in modum peto & quæso, ut quam uultu & uerbis uoluntatem toties significasti, re tandem ipsa declares: & quia spem dedisti, opem etiã ferre uelis.* S*olonem suæ ætatis sapientißimum, qui* A*theniẽsibus le-ges uiuendi tulit, dicere solitum scripserunt, omnẽ rem-publicam præmio & pœna contineri.* V*bi enim honesti*

labores honoribus atque præmiis decorantur, ibi ingenia pollent, bonæ artes aluntur, omnis generis studia excitantur: alioquin hebescunt languéntque desidia homines, & desperatione debilitati, nolunt in eo laborare, cui honorem nullum, aut præmium propositum uident. Quòd si mihi meisque studiis honestè erit prospectum, eorum profectò fructus uel in primis ad te redibit: sin à me quid prætermissum fuerit, commissum facinus, & admissum dedecus confitebor. Cæterùm mihi in animo est scribere de regno Franciæ, *uel de optimo regni statu: atq; ab ultimis temporibus repetere maiorum nostrorum instituta: deinde mentem reipublicæ* Francicæ, *morem, disciplinam, temperationem proponere: pòst quibus artibus domi, militiæque partum sit & auctum regnum orbis terrarum florentissimum, tum ad extremum, quánam ratione tandiu stare potuerit, quandiu non aliud eorum* Regnorum *atque* Imperiorum, *quæ post hominũ memoriã extiterunt. Quorũ etiam similitudines ac dissimilitudines peruestigatione comprehendere deliberatũ est, ac quæ insuper rerũ conuersiones fuerint, & ex quibus causis ortæ.* Vtinam *modò cogitata efficere possim: magnum est enim opus ac difficile, quod impedito animo, & nisi antè præparato ocio non potest suscipi, & absolui. Siquidem non solùm ea sunt explicanda quæ perdiu in* Aula, *aut usquam albi de rebus* Frãcicis *didici, sed etiam ex media antiquitate, & ex interioribus omnis generis literis eruẽda, quæ de maximis* Regnis *atque* Imperiis, *de eorum initiis, progressionibus, inclinationibus*

tionibus, fideles rerum gestarum scriptores libris cõmendarunt, quaéque à doctissimis Graeciae philosophis acutissimè disputata, & tractata uberrimè fuerunt. Verùm *hoc totum scribendi consilium rationémque ex tuo iudicio moderabimur: si probaueris, aggrediemur: sin improbaueris, dimittemus. Quippè ea est tua dignitas atque prudentia, is usus rerum, sic denique es de me promeritus, ut nihil malim quàm arbitrio tuo stare.* De qui*bus quàm primùm in Aulã rediero, praesens, ut spero, tecum agam pluribus, & dabo operam ut eliciam sententiam tuam.* Ego *institutũ meum uertendi Graeca secutus, nuper reddidi* Francicè *Aristotelis* Politica, *in hũc praecipuè usum, de quo nunc loquebar, quae propediem addẽtur reliquis nostris trallationibus, quas ex* Platone, *Isocrate, Xenophonte, Demosthene, probatissimis atq; eloquẽtissimis omnis memoriae scriptoribus paraui, exercendi styli, & confirmandi iudicij causa.* Vale. *Lutetiae* Paris. *prid.* Nonas April. M. D. LIX.

IOANNI BELLAIO CARDINALI LVDOVICVS REGIVS S. D.

GVlielmus Pagetus, *regis* Anglorum *cõsiliarius primarius, cui nos per literas commendaras, quandiu in* Anglia *fuimus, omnibus rebus liberalissimè humanissiméq; tractauit: sic ut facilè intelligeremus quantum esset nomen tuum illis in locis, & quantum pondus tua commenda-*

tio haberet. Nam & ad Regem deduxit, à quo perhonorificè sumus accepti, & quæcunque ad hanc profectionem opus fuerunt, dedit operam ut ea mihi in concilio Regis sine ullo meo labore aut molestia conficerentur. Quibus nominibus & tibi qui aditum ad illius amicitiam dedisti, & illi qui externum hominem, licet immerentem, quoad eius fieri potuit, iuuit ornauitque, ea necessitudine quæ sibi tecum intercedit, præcipuè adductus, plurimum debere non fateor solùm, sed etiam profiteor ac prædico libenter. Non potui maturius reddere Pageti literas, quibus ille uir tuis respõdet, quòd & procul abesses, & certorum hominum, qui istuc proficiscerẽtur, facultas non esset quibus crederem. Itaque necessariò mihi rogandus fuit Trecorensis Episcopus, qui negocia tua potiora hîc curat, ut quamprimùm cõtingeret illum ad te scribere, meas & Pageti literas uellet cum suis ad te mittere. Vale. Lutetiæ Paris. XV. Cal. Mart. M. D. LI.

GEORGIO ARMENIACO CARDINALI LVDOVICVS REGIVS S. D.



Vm penè eodem tempore huc esset allatum te Archiepiscopum Turonensem esse factũ, & in Aulam cum Nauarræ rege aduentare: non potui nõ gaudere, uehementérque lætari, quòd summum honorem, tuæque eximiæ uirtuti

iandiu

318

iandiu debitũ, intelligerem accesſiſſe, & ſperarẽ, quandiu hîc eſſes futurus, perfruendam nobis daturum & humanitatem tuam, & ſapientiam. Is enim tu uir es, eúmque te præſtitiſti maximus in rebus gerendis, grauiſſimiſque legationibus obeundis, ut de dignitatis tuæ amplificatione boni omnes iurè debeant lætari: ego uerò ſupra alios magis, qui moderationem animi tui & æquitatem noui, ſingularémque beneuolentiam literis etiam ad me peramanter honorificéque ſcriptis proximè perſpexi. Qui ſi affuiſſem dum in Aulam uenisti, eam obſeruantiam qua te reuereor & colo, coràm præſtitiſſem, & lætitiam quam percepi ex optato aduentu tuo, & ex ampliſſimi iſtius ſacerdotij acceſſione, declaraſſem. Nam quo rarius ad hãc tantam generis nobilitatem uirtus accedit, quóque difficilius fortuna coniungitur præſtanti eximiæque uirtuti, hòc magis gratulandum tibi cenſeo: qui cùm longè nobiliſſimus ſis, & fortunæ muneribus ornatiſſimus, uirtute etiam & doctrina multũ cæteros præcedas. Vnde optimè uiuendi ratione comparata, pro nihilo ducis illa ornamenta generis atque fortunæ, quæ ſcis eſſe ſubiecta ſub uarios incertóſque caſus. Quin potius in Deo primùm opt. max. deinde in te ipſo omnem ſpem reponens tui, neque in proſperis rebus & ad uoluntatem perpetuò fluentibus inſoleſcis, neque ſi fortunam reflare contingeret, magnoperè (ut arbitror) angerêris, reputans ipſe tecum eius uarietatem, rerúmque humanarum imbecillitatem. Proinde bonis illis ſic uteris, ut te dignum, eáque perſona quæ tibi diuinitus in

republica Christiana imposita est. Et quò uberior diuitiarum copia suppetit, tantò te geris summißius: quóque ampliorem dignitatis gradum adeptus es, tantò te faciliorem erga omneis, humaniorémque præbes. Sed nescio quo pacto ad hæc delapsus sum, cùm id mihi propositum initiò non fuisset. Nos hîc circum uicos & uillas erramus in plurimis maximísque molestiis: quas tamen iam leuat nobis ineuntis ueris amœnitas. Nam cedente paulatim hyemis squallore, cœlum mitescere, & campi herbis conuestiri incipiunt, totiúsque naturæ uultus renascẽtis anni beneficio exhilaratur. Alij aliò profecturos nos hinc dicunt: sed quotidie experimur nihil tam certum in Aula, quàm incertos esse omneis eiuscemodi rumores. Regem tamen, ut primùm conualuerit, ad fanum Germani rediturum arbitramur. Quod si serius opinione hominum & nostra uoluntate fiet, ego uel Lutetiam usque tui salutandi causa conuolabo. Interim has ad te literas mitti oportere existimaui, grati erga te animi mei testes. Malui enim cùm debitam amplitudini tuæ obseruantiam quoquo modo præstitissem, ineptus fortasse uideri, quàm si id non fecissem, inofficiosus haberi. Vale. Rãboulleti. IIII. Non. Mart. M. D. XLVII.

LVDOVICVS REGIVS STEPHANO PONCHERIO EPISCOPO BAIONENSI Libellorũ supplicum in Regia magistro S.

Vehemẽter dolui quòd te reuisere Arquis aut Dieppæ non fuerit licitum, antequam mare transirem. In causa fuit subita tua profectio Fecanum uersus. Intellexi tamen quemadmodum Platonis Timæum à nobis Francicè redditum, quem Rotomagi acceperas, D. Card. obtuleris: & librũ à tãto principe humanissimè acceptum, cùm propter auctoritatem Platonis, tum uel maximè propter commendationem tuãm resciui. Immortaleis igitur ago tibi gratias, agámque dum uiuam. Sed ueluti in pingendo non est satis rem adumbrare, nisi posteà suis coloribus singula appositè illustrentur, nec sufficit unam aut alteram partem politissima arte perficere, si reliquum corpus imperfectum ac rude relinquatur: sic debes existimare nõ satis esse in me commendando elaborauisse, nisi etiam illius, cui nos commendasti, beneuolentiam nõ modò retinere, sed etiam adaugere in dies contendas. Hoc bonæ artes, quarum ab initio ætatis summè studiosus fuisti, à te postulare uidentur: quibus negari quicquam abs te fas esse non puto, præsertim pro suo alumno agentibus, & apud eum qui hæc tanta fortunæ & dignitatis ornamẽta illis potissimùm ferat accepta. Scripsi ad D. Cardinalem in eam sententiam literas, quas illi reddes ut primùm occasio dabitur: sed uerborum tuorum elegantia

ſuauitatéque prius conditas & ornatas. Vale. Conſtantiis, V. Cal. Iul.


LVDOVICVS REGIVS GVLIELMO POYETO FRANCIAE CANCELLARIO S. D.

PHilippus *Coſſeus* Conſtantienſis Epiſcopus, *cuius iuſſu Gulielmi* Budæi *uitam explicãdam ſuſcepi, auctor mihi fuit ut hunc meum laborem nomini tuo cõſecrarem, exiſtimãs, quoniam* Budæum *paulò antè uita fruentem unicè dilexiſti, quicquid de eo mortuo ſcriberetur, tibi fore gratiſſimum.* Ego *uerò tametſi uidebatur id alienum inſtitutis meis, & difficile erat rem hanc tam expectatam & diligentia conſequi, & memoria complecti, & oratione exponere: tamen uiro clariſsimo atq; doctiſsimo, & iuſta imperanti, & præclara cupienti, non parere nefas eſſe putaui: eóque magis, quòd non aliunde poteram honeſtius primam ineuntis adoleſcentiæ commendationem ducere.* Quod *autem erat optandum maximè, ut mihi iuris ſtudioſo daretur aditus ad te ſummum iuris antiſtitem, iuriſconſultorúmque principem, & quod unum ad meas rationes præcipuè pertinebat, id non fortuitò, ſed propè diuinitus datum atque oblatum uidetur.* Quamobrem, *quoniam propter obſcuritatem in hominũ ignoratione adhuc iacui, ad tuam amplitudinem confugio: inde aut præſidia aduerſus inuidiam, aut laudi, ſi qua*

fortè

forte nascatur, adiumenta quæsiturus. Accipies igitur hunc librum, exiguum quidem & tenuem, sicuti nascētia omnia sunt & incipientia, nec tam re & maturitate, qualia solent esse adolescētium, quàm spe fortassis & expectatione commendandum. Quem tamen spero tibi fore iucundum, tum Budæi *ipsius causa, cuius honori destinatus est, tum* Constantiensis Episcopi *nomine, cuius cū essem* κτήσει *proprius, tuū tamē esse uoluit* χρήσει πάντῃ. Vale. Meloduni, *mense* Ianuario, M. D. XL.

FRANCISCO CHEMANO FRANCIAE PROCANCELLARIO LVDOVICVS REGIVS S. D.



VM *his diebus allatum esset ad urbem, tibi nec opinanti summum magistratum esse mandatum, sanè pro eo ac debui, maxima sum lætitia affectus: neque solùm mihi ac bonis omnibus gratulandum putaui, quòd uirtuti ac literis, quàm tu es, amicior nemo poterat illum in locum, atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris ascendere: sed multò magis reip.* Francicæ, *quæ turbulentissimis hisce tēporibus eum uirum nancisceretur, qui cùm maximis in rebus & gerēdis & sustinēdis, domi & militiæ, publicè & priuatim, ab ineunte ætate exercitatissimus esset, & cùm ipsa natura moderatissimus, tum uerò etiam doctrina, atque optimarum artiū studiis eruditissimus. Gaudeo igitur singularem tuam*

uirtutem, innocentiam, diligentiam, iustitiam & sapientiam, quasi totius orbis theatro tandem aliquando propositam, & in luce Europæ, *ipsiúsque* Franciæ *oculis auribúsque positam: cúmque honorem tibi* Deum *fortunare quæso, à téque ex* Regis *optimi uoluntate, regnique clarissimi dignitate, administrari. Quam quidem gratulationem ut tuo nomine facerem, præcipuè me adduxit insperata orationis tuæ & suauitas & humanitas, qua erga me non ita dudum usus es, cùm à* Tagaultio *medico nobilissimo atque optimo ad te deductus essem.* T*am præclarum enim mihi dedisti iudicij tui testimonium, tam magnum amoris signum, dum me bene sperare & bono animo esse tam comiter iuberes, alacritatémque persequendorum studiorum afferres, ut nisi in publica omnium ordinum lætitia, totáque urbe ad habẽdum tibi honorem effusa, maiore quàm plerique alij gaudio cumularer, omnem sensum humanitatis meritò iudicarer exuisse.* I*taque subsecutus illius sermonis tui sententiam, nihil prius habui (cùm præsertim diceres, siquando res ita ferret, te nullius opera libentius quàm mea usurum) ut si quid in me est industriæ, laboris, ingenij, quod tua prædicatione, quàm meo merito maius puto, id omne amplitudini tuæ deferrem: arbitratus nihil meæ ætati conuenientius posse contingere, quàm tua frui interiore sapientia, téque domesticum habere exemplum omnis uirtutis ad imitandum: nec quicquam mihi honorificentius, quàm in familiam tanti uiri cooptari, si quidem ulla in re operam tibi nauare possim.*

possim. Igitur rogo te & etiam oro, sic mediusfidius ut magis ex animo non possim, ut si minus opinione literarum, quarum facultas est in me perexigua, obseruantiæ quidem planè meæ erga te, tuæque erga me beneuolentiæ gratia, me in fidem & clientelam tuam recipere digneris. Nihil est quod ab industria, officio, studiisque nostris proficisci posit, quod non libentißimè, immò uerius cupidißimè, ad colendam tuam dignitatem sim collaturus. Vale. Lutetiæ Parisiorum, mense Iunio, Anno M. D. XLIII.

FRANCISCO OLIVARIO,
FRANCIAE CANCELLARIO,
LVDOVICVS REGIVS S. D.

NVnquam ego penitus intellexeram quanta sit uis amicitiæ, nisi ex eo tempore, quo mortis acerbitate ereptus est mihi Franciscus Connanus, uir magno ingenio, admirabili doctrina, singulari prudentia, amplo magistratu præditus, eximiáque dignitate: cuius consuetudo quid haberet suauitatis, quámque esset honorifica, carendo magis sensi, quàm fruendo. Itaque cùm nullus dolor sit tantus, quem non longinquitas temporis uel minuat, uel molliat, mihi tamen quotidie augescit magis de illo ægritudo: & quantò longius progredior, tantò maiore incendor desiderio, congressus nostros, consuetudinem uictus, doctißimos sermones illius requirens. Nō erat amicitia inter nos

quauis ex causa temerè ac fortuitò primùm orta, sed cùm ille me, opinione fortassis nonnulla, quam de meis studiis habebat, ab hinc annos propè decem in familiaritatem recepisset suam: atque ego interim & admiratione uirtutis eius, & magnitudine obseruantiæ erga illum, iam non modò ut amicum diligerem, quemadmodum multi uiri præstantissimi, nec solùm ut doctum hominem reuererer, sicut plerique omnes literarum studiosi, sed cum his etiam omnibus in parentis eum loco colerem, cùm diuturna consuetudine, & perpetuis meis officiis magis ac magis quotidie beneuolentia nostra cresceret, ecce tertiana febre subitò consumptus est uir ille, & bonis ac doctis omnibus cùm prudentiæ & sapientiæ, tum beneuolentiæ atque amoris triste sanè desiderium reliquit. Hoc *quale fuerit cùm in aliis animaduerti sæpissimè, tum uerò in te maximè cognoui: qui quanti illum æstimares, nõ solùm ex eo intelligi potuit, quòd uita fruentẽ tam amasti semper, ut plus neminem: tanti autem fecisti, ut te illi uni inter cæteros eiusdem ordinis homines multum tribuisse uniuersa* Gallia *sit testis: sed etiam quòd mortuũ, quoties in eius mentionem incidis, honorificẽtissimis uerbis perpetuò prosequeris, & uerissimo tuo testimonio, grauissimóque iudicio non intermittis ornare.* Ac *sanè in eo declaras id quod anteà egeris, non uicinitati tantùm, quæ in propinqua parte necessitudinis putatur: aut assiduitati erga te, in qua omnes gratas amicitias atque etiã pias propinquitates uincebat, sed magis adeò uirtuti ac meritis ipsius tribuisse.* Tales *nimirum amicitiæ coniun-*

ctionisque

ctionísque necessitudines inter præstantes homines intercedere solent, quæ nullis aut temporum aut locorum interuallis dirimuntur, nulla uarietate fortunæ, nullis casibus immutantur, ac ne morte quidem ipsa, quæ cæteris rebus omnibus finem adfert, deponuntur, sed cùm uirtute quæ immortalis habetur, nitantur, ad sempiternam memoriam temporis prorogantur. Superiore æstate rus cum uxore ac liberis concesserat, ut ibi nulla ui interpellante, uacuus ab interuentoribus, liberius & solutius in literis uiueret. sæpè enim à fluctibus uel aulicis, uel urbanis, forensíque tempestate, quam inductione quadam animi, atque uoluntate refugiebat, tanquam in portum se in solitudinẽ recipiebat prædij Lusertiani*, quod octauo lapide ab urbe situm* Briam *uersus, possedit ac præcipuè coluit: ubi occupationibus animum relaxabat, & quasi in iucundo studiorum suorum diuersorio requiescens, sibi ocium sumebat ad commentãdum: in quo præclaras ingenij cogitationes literis mandabat: in quo multiplicem ac uariam iuris scientiam ratione & uia tractabat, omnémque doctrinam inuestigabat atque contemplabatur.* Iam *maiorem æstatis partem ruri traduxerat: cúmque in urbem mense* Augusto *reuertisset, credo ut tibi eò aduentanti obuiam procederet, postridie eius diei cœpit tentari febre tertiana.* Rex *eo tempore redierat ex* Andium *&* Britonum *finibus* Fontaneblæum*: cúmque ego ex amicis qui* Lutetia *ueniebant, sciscitarer de* Connano *nostro, ut ualeret, comperi illum morbo teneri. perculsit ilicò animum. Sic enim abhinc triennium*

bis grauiter diúque ægrotauit: nunc appetit Autumnus: *multi morbi, & quidē mortiferi, ubique hoc grauißimo anno sæuiunt. quàm uereor quorsum hic euadat? Biduo pòst cōceßi* Lutetiam, *maximè admodum ut illum omni genere neceßitudinis, omnium consiliorum societate coniunctißimum salutarem.* Fuerat *illo die miſſus sanguis, quod equidem miratus sum in ea corporis macie & gracilitate: medici tamen eo consilio à se factum dicebant, ut tertianæ causam tollerent, néue in quartanam conuerteretur.* Iam *aduesperascebat, & is multo sudore frigido manabat, ac leuiter somnus eum cōplectebatur: quamobrem non licuit id temporis hominem uidere & affari.* Postridie *constitueram omne pomeridianum tempus illi transmittere, & idcirco apud te pransus eram: cùm ecce sub exitum prandij, de morte* Connani *allatum est: illúmque sub meridiem è uita exceßiſſe, die sexto quàm ægrotare cœperat, nunciatum.* Fuit *hoc mihi luctuosum, acerbum suis, graue literis, omnibus bonis triste:*Nam *quò rariores sunt qui probitatem morum cum eximia literarum grauiorum intelligentia coniungant, & eloquentiam reconditioribus artibus locupletent, hoc grauiorem fecit iacturam ætas nostra in eo homine, qui & optimus uir fuit, & iurisconsultus eloquentiß. & omnium aliarum artiū disciplinis instructißimus.* Erat *in eo, ut dixi, summa gracilitas, & raritas corporis, qui habitus & quæ figura non procul abeſſe putatur à uitæ periculo, si animi contentio uehementior accedit.* Igitur *in eum intuens qui erat mihi charißimus, pro illius erga*

me

323

me beneuolentia, & mea summa erga illum obseruantia, quòd se in suis perennibus studiis contineret, nonnũquam hortabar & monebam, ut id quod ageret, temperatius ageret: ne per incuriam corporis, in morbum toties incideret, quo celerius sua opinione, atque omnium expectatione, abriperetur: uti modum studio faceret, & effusam illam sine intermissione contentionem meditandi, legendi, atque scribendi reprimeret: non committendum ut laborum nostrorum flores exarescerẽt antequàm fructus pariant, & maturitatem assequantur: ingrauescentem ætatem illis demetendis aut percipiendis accommodatam. Et *ut oratio plus ponderis apud illum haberet, proponebam quoque* Platonem, *quem tum in manibus habebam, longè omnium qui scripserunt aut locuti sunt, & maiestate sententiarum, & elegantia uerborum principem, admonẽtem in* Timæo, *uti quandiu hac lucis usura frueremur, non minorem corporis quàm animi curam gereremus, quòd malè affecto corpore animi muneribus fungi nequeamus.* In *curando autem corpore imitari oportere naturam uniuersitatis rerum altricẽ, quæ nihil in mũdo, ad cuius similitudinem facti sumus, ociosum pateretur, sic ut nunquam obtorpere permittamus, sed quantum est situm in nobis, moueamus illud semper, & moderatis exercitationibus ad perferendos labores corroboremus.* Sin *eo neglecto animum solum coleremus, fore ut potentior factus exultaret atque efferretur, totúmque ipsum intus agitans, languoribus impleret.* Quinetiam *cùm ad discendum inuestigandúmque*

uehementius incumberemus, labefactare corpus, nonnunquam & inflammare, ac non expectata morte necessaria dissoluere, præsertim si contentio acrior adiungeretur: adduci tamen, ut aliquantum de summo illo studio remitteret suo, non potuit. Itaque dum literarum cupidior quàm lucis esse pergit, dum hoc sublato bono uitam nihili putat, dum ualetudinem negligentius curat, uires corporis sic afflixerat & prostrauerat, ut leuißima febris adueniens eum perbreui de medio sustulerit. Ingrauescente morbo, cùm iam dubia spe uitæ spiritum duceret, nihil à pristina sua uirtute alienum fecit, non uocem ullam anteacta uita indignam edidit: quin ab astantibus admonitus salutis, respondit hanc semper sibi curæ fuisse, sed doloris uictum debilitatúmque magnitudine succumbere. Tandem uerò sine ullo corporis aut uultus motu ita tranquillè placidéque decessit, ut nõ è uita ad mortem, sed ex labore ad quietem, ex ætate breui ad perpetuam, ab exilio hoc quidem misero ac permolesto, ad iucundißimam beatißimámque illam animorum patriam, Dei opt. max. sedem atque solium migrare uideretur. Sic magno fortunæ casu accidit, ut quem uiuum & incolumem uidere maximoperè cupiebam, ei flens ac mœstus cum cæteris parentarem. Perijt tertio & quadragesimo ætatis anno, Cal. Septembr. Anno salutis generis humani M. D. L I. atque Lutetiæ in D. Opportunæ sepultus. Quãquam igitur post tot amicorũ funera, post tot accepta fortunæ uulnera, iã mihi uiderer ferendis calamitatibus diuturna consuetudine

callum

324
callum obduxisse, dici tamen non potest, ne cogitari quidem satis, quantum ex eius interitu dolorem uel mœrorem potius acceperim. Sed meipse consolor, & maximè illo solatio, quòd uirtus & doctrina illius, quas coluimus amauimúsque, non sunt extinctæ, sed uiuunt sempérque uiuent in doctorum hominum mentibus ac sermonibus, alentur æternitate, & augebũtur totius posteritatis memoria. Etenim cùm non solùm ingenio & doctrina, sed etiam ocio studióque abundaret, commentarios iuris Ciuilis scripsit ualde quidem probandos, cùm propter elegantiam, tum grauitatem rerũ quibus referti sunt. Qui tandiu, ut mea fert opinio, in manibus habebuntur, quãdiu Romanæ literæ stabunt, quandiu ciuilis prudentia, quandiu iuris dicendi ratio ulla inter homines manebit. Fuit autem propositum, eius disciplinæ penè infinitæ uim & materiam uel scientiæ peruestigatione, uel differendi ratione comprehendere. Docendi quidem certè rationem ac uiam accuratiorem, quàm quæ in recẽtioribus, atque adeò in ipsis planè ueteribus iurisconsultis cæsareísque constitutionibus reperitur, adhibere uoluit, ac profectò iuris artem instituere. Magnum opus & arduum, atque haud scio an de humanis operibus longè difficillimum. Enimuerò cogitanti mihi sæpenumerò, & in summos homines intuenti, qui abhinc annorum duo millia, arteis ad bene beatéque uiuendum necessarias aut inuenerant ipsi, aut inuentas literis illustrauerant, & perpoliuerãt, solus Aristoteles ex omni memoria ætatum, temporum, nationum, occurrit naturæ quadam prouidẽtia genitus,

qui ea quæ prius in diuersis artibus dispersa & dissipata fuerant, μεθοδικῶς conglutinauit, quadamque ratione constrinxit. Cæteri mihi uidentur tanquã partus degeneres, uel non præstitisse quod polliciti sunt, uel nõ perfecisse quod ab illis expectabatur. inchoata quidem plurima, & magna ex parte cõfusa permixtáque reliquisse. Quòd si scientiæ tantùm instituuntur rerum uniuersarum & sempiternarum, quæ intelligentia & ratione comprehẽduntur, quæ sunt maximè secundũ naturam; & procul absunt ab opinione, quæ semper eædem atque eodem modo sunt apud omnes, quæ in unum exitum spectant, & nunquam fallunt, equidem non uideo quemadmodum ars certa iusti & iniqui constitui poßit, quorum tanta est per uniuersum orbem terrarum differentia, quæque nõ tam per seipsa, quàm pro legibus, ritibus, moribus, consuetudinibúsque ciuitatum, nationum, gentium considerantur. Prætereà quorsum tot responsa iurisconsultorum mutila & decurtata? tot edicta prætorum? plebiscita? principum constitutiones? senatusconsulta? quorum constat maiorem partem ipsa uetustate consenuisse, aut tacitis populorum consensionibus mutatam, aut emergentibus nouis quotidie legibus, aliis super alias aceruatis, esse sublatam. An ut reliquæ omnes gẽtes regantur ex præscripto unius ciuitatis? quæ uarias mutationes habuit: quæ quandiu libera fuit, perpetuis seditionibus plebis & optimatum laborauit, & postquam dominationi Cæsarum paruit, omnis memoriæ deterrimos principes tulit, ex quorum placitis totũ hoc ius Romanorum

325

manorum, quod uidemus, conflatum est & effectum? Quòd si omnium aliarum rerumpubl. cùm priscarum, tum recentium, quæ bene moratæ benéque cõstitutæ fuerunt, instituta animo percurramus, nũquam in his reperiemus iurisconsultos extitisse qui libellos conficerent de pactis & transactionibus, qui stipulationum, iudiciorum, exceptionum formulas componerent, qui docerẽt quemadmodum in iure cauendum, & quid de quaque consultatione respondendum esset. Non apud Athenienses, & Lacedæmonios, *à quibus iuris* Romani *initia ducuntur.* Non *apud Assyrios, Carthaginienses, Aegyptios, Persas, Macedones, Gotthos, Vandalos, Saracenos, quorum ditiones amplæ fuerunt.* Longum *esset, & non necessarium, commemorare de omnibus. sed si qui id genus hominum indulgentius aluerunt, constat apud eos omnia litibus arsisse: quemadmodũ olim usu uenit* Romanis, *& paulò ante nostram memoriam in* Pannonia *accidisse* Viues *refert, ac nũc magno nostro malo in* Frã*cia experimur: ubi omnia gymnasia, fora, tribunalia uocibus iurisconsultorum personant. Quis enim nominis* Francici *amans non miretur, uel doleat potius, in tanto numero magistratuum ac legum aceruo, lites infinitas atque immortaleis haberi? nihil tam certũ, quod non in dubium uocetur: nullam cõtrouersiam tam expeditam, quæ non impeditissima reddatur? nullum contractum tam stabilem, qui non rescindi: nullam sententiam tam firmam, quæ nõ perfringi possit? omnia harpyiarum forensiũ calumniis, dolis, fraudibus inuoluta? ipsam prisci*

iuris maiestatem cautionibus & formulis deformatam obsoleuisse? his denique moribus germanæ iustitiæ effigiem amplius nullam inueniri: umbra nos tantùm & imaginibus uti, quas etiam utinam (quod Cicero sua ætate querebatur) retineremus? Quantò melius cum humano genere ageretur, si omissis tot legibus scriptis, earúmque malitiosis interpretationibus, quæ non tam cõtrouersias tollunt, quàm litium actiones constituũt, summam illam legem, iuris atque iniuriæ regulam sequeremur, quæ uniuersum mundũ regit imperãdi prohibẽdique sapientia, quæ non populorum iussis, non principum decretis, non sententiis iudicum aut scripta est, aut confirmata, sed seculis omnibus antè nata quàm scripta lex ulla, aut quàm omninò ciuitas constituta: quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut honestè uiueremus, fidem seruaremus, alterum non læderemus, suum cuique tribueremus, controuersias inter nos ortas ex æquo & bono breuiter uel per arbitros cõponeremus, uel per iudices terminaremus. Cuius quidem iustitiæ naturalis si quis primas & inchoatas intelligentias, quas in animis habemus impressas, explicauerit, si ea quæ obseruata sunt in usu forensi, & communi ratione iuris dicendi animaduerterit ac notarit, uerbis designarit, generibus illustrarit, partibus distribuerit, id quod Connanum nostrum fecisse uidemus: præclarè mediusfidius is erit de humano genere mereri iudicandus, nec dubitan-

dum.

326

dum, quin si non planè artem, at quasi artem iuris inuenisse dicatur. Nō ut omnia quæ illa arte effici possunt, inde petantur, non ut legem uno quoque uerbo in ore habeamus, non ut sexcēta capita sine delectu effundamus, innumerabiles doctores indoctos illos quidem, ac certè nō necessarios ad ostentationem memoriæ & lectionis proferamus, non denique ut quicquid deliberandum, agēdum, statuendum nobis proponamus, ad rubricas reuocemus: sed nimirum ut cognitis primis ac certis rebus, reliqua, quia aut faciliora sunt, aut similia quisque pro suo captu persequatur: quippe quæ accendi aut commoueri præceptis ueterum possint, inseri quidem à libris nō possunt. Profectò aut me fallit opinio, aut nihil à restitutis literis in hoc genere scripti in lucem prodiit, quod sit cum commentariis Connani *uel disserendi ratione ac subtilitate, uel dicēdi elegātia & proprietate, uel rerū delectu & ordine comparandum.* In *quibus si quid occurret quod lectori erudito non faciat satis interdum, ut in tanto opere credibile est quædam ei humanitus excidisse, æquum erit ignoscere: atque eò magis, quòd immatura morte præuentus, extremam manum maximè posteriori parti addere non potuit. Quòd si per fati necessitatem in uniuerso opere eandem diligentiam adhibuisset, quantam in tribus libris prioribus, quos toties ea cura limauerat, ut ter aut quater propria manu describere non fuerit grauatus, facilè omnium superiorum scriptorum gloriam, non modò styli fœlicitate adæquauisset, sed etiam diligentia uicisset.* Magnum *enim eius iudicium*

fuit, magnumque optimarū artium studium, tum omnis liberalis & digna iurisconsulto ab eo percepta doctrina. Qui puer admodum educatus in disciplina doctissimorum praeceptorum, sed potissimùm Iacobi Spifamæi uiri clarissimi, nunc pontificis Niuernensis: apud quem philosophiam Aristotelicam didicit, & cui ex omnibus plurimū detulit. Deinde ut primùm ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem solet informari, se ad ius ciuile contulit, primùm Aureliæ, nobili & celebri urbe, Petrum Stellam audiuit, pòst apud Biturigas Andream Alciatū Mediolanensem, quem nostræ ætatis multò præstantissimū iurisconsultum fuisse uerè uideor posse contēdere, nec minus optimis artibus eruditū. Inde Lutetiam reuersus, in iurisconsultorū subselliis perdiu uersatus est: ibi rationum regiarum, continuò libellorū supplicum in prætorio magister factus: in quo magistratu per vij annos admirabili quadam laude uersatus est. Accedit eò, quòd domus eius semper patuit, sempérq; referta fuit uiris doctis, quanquam doctrinæ suæ dissimulator magis fuit quàm ostentator: nemo parcius loquebatur, nemo minus aliis sese uenditabat. Non scribebat ad aucupandam gloriam, sed ad animi oblectationem: sorte sua contentus, nec rem amplificare, quam honestā possedit, studebat, nec honoribus maioribus inhiabat. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in Deum? bonitate in omnes? iustitia in illos qui eius opera utebantur, aut qui aliquid negocij cum ipso habebant? Sic uita erat, nemini nocere, prodesse uerò quibuscunque posset, non solū bene

agendo,

327

agendo, sed etiam scribendo: ita ut facillimè sine inuidia laudem inueniret, & sine obtrectatione gratiam pararet. Quæ mecum ipse considerans, equidem incipio castigare imbecillitatem meam, ac iam illius mortem non misericordia, sed beneuolentia potius prosequendam duco. Quid enim longius à luctu, quàm uita gloriosa innocenter acta? & mors beata, licet immaturè oppetita? aut quid laudandum magis quàm optimarum artium studium, & præclara ingenij monumenta ad sempiternam hominum memoriam literis commendata? Nihil *est igitur quod tua causa, mi* Connane, *doleamus. Si quid mali accidit, nobis accidit: qui honorifica tua consuetudine, humanitate singulari, recondita eruditione, suauißimis sermonibus, prudentißimis consiliis in perpetuum sumus destituti.* T*u aduersas res nostras subleuabas, secundas ornabas, in dubiis consilium dabas.* T*u arbiter scriptorũ nostrorum, moderator eras studiorum: nõ erat quisquam mortalium te mihi charior, aut in cuius prudentia libentius acquiescerem. Quapropter si nullũ fuit beneficij genus, quod in me, licet immerentẽ, licet sola literarũ commendatione tibi primùm cognitũ, non contuleris, & tibi uiuenti nullum contrà amoris, nullũ obseruantiæ, nullum studij officium à me defuit, egó ne tam expers humanitatis reperiar, ut tui nunc obliuiscar?* Sed *quid ego in hac mea mediocritate possum?* An *tua in me beneficia commemorem? at nunquam ea mente contulisti ut euulgarentur.* An *celebrem uirtutes? at in illustri gradu dignitatis collocatæ, toti* Galliæ *notæ fuerunt.* An *libros abs te*

ſcriptos uerbis ornem? at propter elegantiam grauitatémque rerum, quibus referti ſunt, & commendantur maximè, & quotidiè ab omnibus expetuntur. Quid quòd, dum uiueres, non tam præmia ſequebaris rectè factorum, quàm ipſa rectè facta? non laudis ſtudio trahebaris, non gloria ducebaris, ſola optimæ mẽtis conſcientia nixus, quæ tibi ſemper pluris fuit, quàm hominum ſermo. Tu tamen, intereà dum à percipiendis atque cognoſcendis optimis artibus, nec earum magnitudine ac difficultate, nec innumerabilibus aliis rerum aſperitatibus deterremur, præſertim tam raris ad diſcendum propoſitis hoc ſeculo præmiis, dum doctrinam ad exemplum ueterum non modò ex libris & in umbraculis ocioque eruditorum, ſed ex omnium rerum uſu & uarietate quærere conamur, nihil, quantum eſt ſitum in nobis, terra & mari, domi & militiæ, apud nos, apud exteros intentatum relinquimus: nunc in foro uerſamur, nunc Aulam ſequimur, dum in perſequenda ſciẽtia & ſapientia omnes labores, curas, moleſtias parui ducimus: poſtremò dum noſtris ſtudiis portum quærimus, à quo iam non ſemel reflantibus uentis reiecti ſumus, accipies hæc dona inania, & quaſi inferias, quas ſanctiſsimis tuis manibus in mediis noſtris occupationibus, & erroribus aulicis offerimus. Sed neſcio quomodo hic me æſtus amoris in altum lóngius abſtraxit, quàm aut uellem, aut initiò fuerat propoſitum. Ego uerò cùm de eo aliquid uellem ſcribere, tibi potiſsimùm id munus conuenire arbitrabar, quod duorum ampliſsimorum hominum

minum memoriam esset in posterum, uel etiam beneuolentiam propagaturum: ut ita utrique, etsi nequaquam parem uestris uirtutibus, at pro nostro tamen studio, debitam gratiam, tibi educationis, illi familiaritatis, quoquo modo referrem. Quid enim poterat mihi, uel ad usum literarum melius, uel ad præsentem existimationẽ honorificentius, uel ad reliqui temporis expectationem maius accidere, tanti uiri consuetudine atque conuictu? Ecquem potius quàm te magnum iuris antistitem, iustitiæque præsidem secutus essem? apud quem ea quæ legendo ab ineunte ætate didiceram, usu & exercitatione frequenti cumulatiora redderẽ, & perfectiora: tum uerò earum rerum quæ uersantur in consuetudine uitæ, in hac societate ciuili, quæ ad mores hominum, & ad rempublicã præsertim nostram pertinẽt, cognitionem mihi pararem uberiorem, atque scientiam. Quamobrem si quid est in me ingenij, quod sentio quàm sit exiguum, aut si qua ab optimarum artium studiis profecta facultas, earum rerum omnium uel in primis fructum à me repetere propè tuo iure debes: qui me in contubernio tuo plures annos honorificè aluisti, ac præceptis propter excellentẽ eruditionem, & exemplis propter eximiam uirtutem auxisti. Itaque cùm in te colendo obseruandóque plus elaborauero quàm possum, minus omninò faciam quàm debeo, beneuolentiã fortaßis imitabor, partem certè minimam tuorum meritorum non modò referenda, sed ne cogitãda quidem gratia consequar unquam. Cathalauni. Cal. Maiis, Anno M. D. LII.

LVDOVICI REGII ORATIO AD CVRIAM PARISIENS.

QVod erat mihi optandũ maximè, ut aliquãdo in hoc ampliſsimo Galliarũ loco, ac clariſsimo totius Europæ cõcilio, ſpecimen ingenij darẽ, & laborũ, quos ab ineunte ætate ſuſcepi, fructũ ex doctiſsimorum hominum atq; integerrimorum ſenatorũ iudicio cõſequerer, id nunc datũ oblatúmq; uehemẽter lætarer, ſi uſitata ratione probandorũ magiſtratuum, & recepto ſuperioribus annis more id fieri liceret. Sed noua lex impedimento eſt, quæ ad religionem ueſtram, Iudices, addidit non ferendorum modò ſuffragiorum ſeueritatem, ſed difficultatem etiam ex tempore de iure reſpondendi. Quæ dum animo contuerer, ſæpè multúmque dubitaui, ſatiúſne omninò foret, delatum ab optimo principe magiſtratum recuſare, quàm tãtam rem, tam lubricam atque ancipitem ſuſcipere, quàm paruo momento omneis opes fortunáſque meas, omnem exiſtimationem ac ſpem reliquæ uitæ, in diſcrimen adducere. Nam hodierno die eam poteſtatem omnem uos habetis, ut ſtatuatis utrum hanc indolem nondum firmata ſtirpe uirtutis, tanquam ſubita tempeſtate peruertatis, an plenam ſpei alicuius, & nunc primùm ægrè floreſcentem alatis. Enimuerò ſi nouos magiſtratus illius legis ſtatera, & ueſtræ eruditionis trutina examinaueritis: quis erit tam inſigniter doctus, aut tam ſummè impudens, qui ad omnia quæ

de

de iure dici possunt, suscipiat, ac profiteatur se ex tempore esse responsurum? Est magna quidem & præclara certè iuris ciuilis sciẽtia, recondita, multiplex, subtilis, nulla tamen certa ratione ac uia conscripta, cuius infinitam uim & materiam qui penitus cognitione comprehenderit, arbitror posse reperiri neminem. Neque uerò hæc mea oratio eò spectat, ut legem inconsideratius latam uelim ostendere: sed ut, cùm eius uerba nimiæ seueritatis plena esse uideritis, uolũtatem Regis *optimi qui eam tulit, consiliúmque uiri prudentissimi qui rogauit, amplectamini. Certum est enim* Franciscum *regem illato à duobus potentissimis principibus graui periculosóque bello, inopia ærarij pressum, difficultate temporum coactum, non curias modò ipsas, sed inferiora quoque tribunalia quamplurimis nouis magistratibus impleuisse. Cuius rei cùm illum pœniteret, rebus compositis, paulò antè quàm è uita excederet, hanc legem tulisse, qua redundantem iudicum turbam coërceret, & imminutam uicio temporum iustitiæ maiestatem in ueterem dignitatem uindicaret. Quinetiam in perfecto iudice non solùm iuris intelligentia spectanda est, sed multæ sunt artes & uirtutes eximiæ huius administræ comitésque facultatis, ueluti innocentia, grauitas, fides, integritas, modestia, ueritas, sine quibus omnis cognitio manca est & inchoata: quæque nec ex dissipatis ueterum iurisconsultorum libris, nec ex uerbosis recentiorum commentariis peti possunt: & tamen in probandis iudicibus sunt in primis consideranda. Quæ cùm ita sint,* Iudices, *quæso*

à uobis ut in nostra causa asperitatem edicti humanitate uestra mitigare uelitis. Nam cùm principes nostri liberam huic ordini dederunt causarum disceptationem, & constitutiones suas, aliáque rescripta, ius ex uestris suffragiis accipere uoluerunt: nimirum crediderunt illos, quos ob singularem industriam, perspecta eorum fide & grauitate, ad huius loci amplitudinem adhibuissent, non controuersias modò priuatas ex æquo & bono sublaturos, sed publica etiam negocia, pro sapientia ac luce dignitatis suæ, pro uarietate rerum atque personarum, ex communi utilitate tractaturos. Quòd si unquam aliâs erga quemquam ulla facilitate atque humanitate citra officij religionem estis usi, uos oro atque obsecro, Iudices, eam mihi ut hodierno die tribuatis. Qui ut summa haberem cætera digna hoc consessu, digna hoc magistratu qui mihi delatus est, à quibus equidem absum lõgissimè, temporis certè uix satis habui ad hæc mea studia recolenda, sed nec quibus de rebus apud uos dicturus essem, per edictum potui ullo modo cogitare, ut paratior ad dicendum uenirem. Quò mitius agere mecum debetis, reputantes ipsi uobiscum tum humani ingenij memoriæque nostræ imbecillitatem, tum etiam iuris ciuilis magnitudinem atque difficultatem. Nam quanquam inficiari non possum me à primis temporibus ætatis, omnis artis ingenuæ disciplinæque ciuilis percupidum fuisse: Aulicæ tamen ærumnæ ac molestiæ, quæ me multos annos districtum tenuerunt, plurimum de flore ætatis, ingenij, studiorúmque delibarunt. Quamuis enim consuetu-

ſuetudine perhonorifica uſus primùm Franciſci Chemantij Taurinorum præſidis, deinde Franciſci Oliuarij Cancellarij, uirorum clariſsimorum atque præſtantiſsimorum: tamen crebræ & propè diurnæ locorum mutationes, aſsiduus ſalutandi labor, tot rerum offenſiones occupationéſque parum admodum, aut nihil omninò temporis, hiſce noſtris literis relinquebant. Verùm ego haud magna in re conſtitutus, præſidio nullo tectus, ſola literarum commendatione, eaque permediocri fretus, non aliter poteram ex illis uadis & ſcopulis emergere, atque honori meo uelificari. Itaque quibus potiſsimùm rationibus uos adduci poſſe ſperarem, ut tam periculoſam ancipitémque dimicationem remitteretis pro tempore ac loco nimium, pro rei magnitudine parum, pro ueſtra prudentia ſatis uideor dixiſſe. Quibus ſi minus permouemini, nouæ legi pareamus, uolũtati ueſtræ obtemperemus, Iudices, atque onere officij nos opprimi potius ſinamus, quàm locum qui ab optimo principe nobis cum fide ſemel datus eſt, propter infirmitatem animi deſeramus. Magnum opus atque arduum tentamus, idq́ue non tam ſatisfaciundi uobis ſpe, quàm progrediendi, quãtum poſſumus, uolũtate. Quod ſi difficilius uidebitur quàm ut à nobis ſuſcipi debuerit, uelim exiſtimetis, dum legibus parere cogeremur, refugiendi pudore, dicendi ex hoc loco neceſsitatem ſuſcepiſſe.

ALIA ORATIO IN SCHOLIS TOLOSANIS.

PYthagoram Samium præstanti sapiẽtia & nobilitate philosophum, cùm in aliis rebus magnum ac probatum uirum, tum in eo summum ac singularem fuisse comperimus, quòd illos qui sese in disciplinã homini tradebant, tacere quamdiutissimè iubebat, nec prius disputandi & percontandi quæ uellent, potestatem faciebat, nisi longo silẽtio docti fuissent. Hoc tanti philosophi diuinum institutũ si teneremus hodie, cũ in aliis artibus, tũ in iure ciuili, haberemus (ut mea fert opinio) disciplinas omnes florẽtiores. Nũc ut alia multa, sic hoc præposterè fit, ut plerique de bonis artibus antè disserãt, quàm de illarũ utilitate & magnitudine aliquid suspicari potuerint: & prius ad docendum ueniant, quàm idipsum quod suscipiunt, nouerint, aut omninò quale sit, didicerint. Quæ dum mecum cogitarem, Auditores optimi, tametsi quadriennio studiorum causa hac in urbe eram commoratus, atque totum curriculum industriæ meæ in iure ciuili elaboraueram, tamen omne meum tempus priuatis studiis transmittere malebam, quàm temere ad docendum excurrere. Sic me hoc aditu laudis, qui semper cuique studioso patuit, non mea solùm uoluntas, uerumetiam conscientia infirmitatis nostræ, & pudor quidam prohibuit, ne aut id profiteri uiderer quod nõ possem implere, quod est impudentiæ: aut id non efficere quod à me expectare-

tur,

tur, quod est negligentia. Sed cùm priuati nostri ex iudicio doctissimorum hominum aliquem fructum consecuti essent, mutare consilium coactus sum. Nam ut iurisconsulti in ordinem suum me cooptarunt, id onus officij mihi imposuerunt, quod abiicere nefas esse duxi, non minus propter eorum auctoritatem, quam nullo modo debeo aspernari: quàm propter singularem in me beneuolentiam, quam cupio omni ratione tueri. Quamobrem suscepi, Auditores optimi, magnum profectò munus in tanta hominum frequentia publicè de iure differendi, idque suscepi non obeundi fiducia, sed uerecundia recusandi. Quid enim est quod aut eniti aut efficere possim, qui toto cursu studiorum, magnis interim uulneribus ictus, morte Ioannis Pini Riuorum Episcopi uiri clarissimi, in quo uno tuendorum studiorum nostrorum spes omnis erat posita, tum grauitate diuturnæ quartanæ, prætereà infinitis aliis molestiis oppressus, nunquam animo uacuo & soluto in eam potui disciplinam incumbere? Quid quod uereor ne nouitas nostra plerisque inuisa sit & suspecta, quódque nunc primùm animum ad docendum appuli, eo minus libenter me audiant? Sed par est illos cogitare, omnium rerum principia parua esse solere, deinde suis progressionibus usa augeri. Non enim ut semen mãdatum est terrę, protinus demetitur, sed elicitur primùm ex eo herbescens uiriditas, quæ suo tempore adolescit, ac tandem ad spicam peruenit. Nec ut ad articulos sarmentorum gemma existit, continuò uua percipitur, sed inde oriens, ac sese ostendens, pòst succo terræ

& calore solis augescēs, quæ initiò acerba fuerat, ad extremum maturata dulcescit. Quinetiam natura corpus hominis ita & formauit & genuit, ut in primo ortu tenerum esset ac molle, deinde progrediente ætate cresceret, ac robustius fieret. In disciplinis uerò quis non uidet omnem earum laudem ab humili paulatim ad summum uenisse? Quòd si natura in omnibus rebus hoc fert, ut nihil simul nascatur & perficiatur, hanc progreßionem in his quæ ex terra generantur, admirabimur, in docendo non feremus? & si usitatam in aliis disciplinis probamus, in iure ciuili repudiabimus? quódque salutare maturitati frugum ac fructuum dicimus, id maturitati iudicij nō utilißimum iudicabimus? Sed omnium artiū, sicut arborum, magnitudo nos delectat, non item radices atque stirpes. Veruntamen esse illa sine his nullo modo potest. Quapropter uos oro atq; obsecro, Auditores optimi, ne me idcircò aspernemini quòd nondum huius auctoritatem loci contigerim, nec statim repudietis, si tardior initiò aut rudior uidear, illud interim uobiscum reputantes, neminem repentè summum extitisse, necnon illis qui modò præstant iuris ciuilis scientia, fuisse aliquādo, ut nunc mihi, alicunde arripiendum ad claritatem exordium.

LVDO-


338

LVDOVICVS REGIVS LANCELOTO CHARLO EPISCOPO S. D.

AMor tuus, ac iudicium de me, utrum mihi plus ornamenti, an ſcriptis meis commendationis afferat, non facilè dixerim. Nam cùm doctrina ac eloquentia, omnique probitate excellas, maximoperè lætor me meáque tibi probari. Illud uerò tuæ in me uoluntatis documentum uel maximum dediſti, cùm pondera ſententiarum ac uerborum propè ſingulorum in noſtris ſcriptis tam diligenter examinares. Quæ ſi mihi poteſtas ſæpius contingat, næ ego multò libentius ad ſcribendum animum inducam, cùm tuo accuratiſsimo iudicio, tum nonnulla mea diligentia melior factus. Sic enim te exiſtimare uelim, cùm à te docto in primis uiro & ualde humano diſceſſerim, neminem eſſe ſub cuius cenſuram me tam eſſe ſubiectum, non ſolùm confitear, ſed etiam gaudeam. Quamobrem quæcunque prius ſcripſi in hac tanta occupatione Aulæ atque uitæ, uel poſthac ſcribã, maiore ſtudio ocióque abundans, ad arbitrium tuum libentiſsimè, ac multò uerius cupidiſsimè conferam. Nunc autem mitto epiſtolam, à me quidem olim ſcriptam, ſed nuper recognitam: in qua ego cum Bunello uiro docto & eloquenti diſputo, an poſt tot ueteres auctores, in tanta librorum turba, ſit aliquid ſcribendum. Multa reperies ex omni antiquitate, & è media philoſophia repetita, quæ, niſi me fallit animus,

tibi neutiquam displicebunt. Quæ tamen uelim sic accipias, ὥσπερ ἐνδόσιμον λόγου μείζονος, ὅντινα μέλλω συγγράφειν περὶ ἀρχῆς καὶ ἐπιδόσεως τῆς παιδείας· ὅπως τ᾽ αἱ τέχναι καὶ ἐπιστῆμαι πολλάκις εὕρηνται καὶ ἀπόλλυντο, διὰ πολλὰς ἀνθρώπων φθορὰς, ἃι γεγόνασι καὶ ἔσονται ἐν παραλλάξει τῇ περὶ γῆν καὶ κατ᾽ οὐρανὸν ἰόντων, πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, πολέμοις δὲ καὶ ἐθνῶν μετοικισμοῖς, καὶ διαλέκτων μεταβολαῖς, καὶ μυρίοις ἄλλοις ἑτέραι. *Igitur propositum est exponere literarum initia, incrementa, progressus: deinde quemadmodum, & quibus temporibus ac locis philosophia & eloquentia ad summum uenerunt, & postea corruerunt: tum denique quid hac ætate in omnibus disciplinis profectũ, quid additum, & inuentum: in quo pares antiquis, in quo superiores, aut inferiores sumus.* ξυνελόντι δὲ εἰπεῖν, *illud omninò examinandum duxi, uerùm ne sit uulgò quod dici solet,* NIHIL DICTVM QVOD NON DICTVM PRIVS. *Magnum opus, Charle, & arduum meditor, sed onus hoc laboris si abs te probari intellexero, suscipiam quamprimùm erit ocij satis ad scribendum. Te rogabo intereà, ut me, si mereor, perpetuò diligas. Vale. Fontaneblai,* XIIII. *Cal. Maias.*

LVDOVICVS REGIVS PETRO BVNELLO TOLOSATI S. D.



Acobus Faber Casædei abbas, uir ornatissimus ac de utroque nostrum optimè meritus, mecum aliquando peramanter egit ut ad te scriberem. Quod etsi meâ sponte pro con-

333

coniunctione beneuolentiáque nostra facturus eram, libenter tamen auctoritate tanti uiri multò etiam magis excitabar. Sed dum diutius quàm par erat, cunctor, ecce literæ abs te mihi redduntur, accuratè sanè & diligēter scriptæ, quibus officium amicitiæ quod erat mihi reliquum, quo uno tecum poteram certare, si minus tanta facultate, at pari propemodum uoluntate quasi præripuisti, ac certè perfecisti, ut cùm doctrina & facultate dicendi plurimos præcedas, ne officio quidem aut amore à quoquam te uinci posse intelligeremus. Equidem nondum statim constitui, maiorém ne ex eo perceperim lætitiam, quòd uideo doctißimum hominem atque eloquentißimum, ultrò ad me literas dedisse: an molestiam, quòd non pro eo ac debebam, & uir excellenti uirtute auctoritatéque uolebat, prius id præstiterim, quod tu tāta suauitate & orationis & humanitatis effecisti, ut spem rescribendi penè omnem adimeres, ac nec omninò quidem fuerim ad tuas literas responsurus, mihi ipse diffidens, ni turpe existimassem in amicitia mutuò non respondere, certóque mihi suasissem, te spectaturum in hac re amici animum magis, quàm scribentis facultatem. Quòd autem Fabros tuos mihi tam diligenter commendas: profectò tuam in eam familiam uel beneuolentiam, uel pietatem potius, satis laudare non possum, cui, ut uerè scribis, humanitas & politiores literæ plurimū debēt: quæque anteà cùm te dilexit unicè, tum nunc orbatum clarißimo uiro atq; sanctißimo antistite Georgio Selua, certißimo tuorum studiorum patrono, impensius tuendū

ornandúmque suscepit. Quòd uerò ἐν παρόδῳ tantum mihi tribuis, equidem non sum adeò impudens, ut id, à quo sanè absum longißimè, ullo modo agnoscam: & tamen inficiari non poßum laudem, quæ abs te laudato uiro profecta est, magnum interim mihi stimulum ad uirtutem admouisse. Aueo scire ecquid agas in hoc summo ocio, ecquid in hac tanta facultate uacui ac liberi temporis commentêris. Te quidem arbitror non cessare. Nec enim decet te eloquentem in primis, & ornatum uberrimis artibus, tibi ipsi tantũmodò uiuere aut studere. Quin potius elaborandum in eo suadeo, quod & in primis potes, & à te omnes expectant, ætatem ut nostram scriptis illustres, & celebres tuis. Nam si quis est hodie qui optimè lingua Latina utatur, qui ornatè & copiosè, qui aptè & distinctè suas cogitationes literis mandare possit, eum te esse meritò arbitrantur omnes. Quam quidem orationis facultatem aut negligere, aut exarescere sinere, esset hominis cùm in maximis rebus errantis, & parum consideratè eloquentiæ dignitatem intuentis, tum abutentis imprudenter ocio & literis. Epistolæ fuerunt à te hactenus scriptæ ad amicos plurimæ, quæ magnam tui expectationem ubique commouerunt: ostendunt enim te non stylum modò acuisse exercitatione dicendi, sed ipsam etiam eloquentiam & sacrarum literarũ ornamento cumulauiße, & cæterarum artium grauiorũ instrumento locupletauisse. Accedit ad hæc acerrimum studium, ac perenne, in quo te contines: iudicium quoque magno rerum usu, multáque nostrorum temporum uarietate

rietate

334

rietate confirmatum. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore cõtendere: tantum quæso fac ut efficias, né ue committas, ut cùm Dei *opt. max. concessu atq; munere tam multa támque præclara ad scribendum adiumenta sis adeptus, ne aut ingratus negligenter, aut immemor tantorum beneficiorum, improbè tibi defuisse uidearis.*Hoc *à te patria postulat, hoc amici, hoc omnes eruditi, quibus negare & inhumanum maximè esset, & minimè ferendum. Quàm multa iacent ad hanc diem, quæ necdum ullum habuerũt lumen* Latinarum *literarum, quæ illustrari possunt & excitari?* Scripta *sunt sanè & nostra memoria, & priscis seculis plurima in omni artium ac disciplinarũ genere: sed non omnia tam distinctè & distributè, nec tam elegãter & ornatè, ut commendari eruditorum lectione posint.* Si *qua uerò talia fuerunt, aut culpa temporum funditus deleta sunt, aut ita mendosa & mutila ad nos peruenerunt, ut multis in locis neutiquam intelligantur.*In *quibus tamen emendandis, corrigendis, obseruandis, exponendis, uertendis, qui eruditiores hactenus habiti fuerũt, tantummodò occupati sunt.* Sed *enim demonstratis fontibus, notatis locis ex quibus ueteres illa hauserunt atque duxerunt, quid obstat quominus in hoc spacio doctissimos homines ipsorum uestigiis persecuti, ad eadem quæ tractauerunt, & quærenda, & disputanda perueniamus?* Quos *assequi ut est difficillimum, sic profectò sequi longè pulcherrimum fuerit: præsertim cùm munus reipublicæ maius, & mortalium generi melius non posit*

afferri, nec sit ullus animi cultus præstantior, neque alius humanitatis quasi cibus suauior. An cùm Agricolæ serāt *arbores alteri seculo profuturas, alij domos ædificent, nemóque sit paulò erectior qui non spectet postera secula ad se pertinere, optimarum artium disciplinis eruditi homines non cogitabunt futura? non suam prudentiam intelligentiámque ad hominum utilitatē conferent? quódque alij rebus breui interituris moliuntur, hoc idem diu uicturis literarum monumentis non assequentur? Atque haud scio, an qui id facere tam eleganter ut tu possunt, tantò etiam magis elaborare debeant, quantò sunt præstabiliora quæ efficiunt, quàm quæ cæteri.* NON *omnis flos eruditionis siti ueteris ubertatis exaruit: non antiquis solis aditus ad summam doctrinam patuit. Nō est natura, quod plerique falsò queruntur, ita superiorum seculorum fœcunditate exhausta, ut nihil amplius pariat & procreet heroicis simile temporibus.* Eadem *nimirum est semper & ubique sui similis, nec minus potens quàm olim, neque minus ad gignenda & alenda præclara ingenia efficax. Quin ualentiorem hodie credi par est, robore adiutam & confirmatam: quòd sensim per tot secula accreuit. Sed paucorum mentes in percipienda sapientia occupantur: auaritiæ arteis tantùm colimus, & ea sequimur studia, quorum precium præsens est.* Nec uerò si huic ætati docendæ elaborauerunt priores, idcircò omnem ueritatem occuparunt. *Multum ex illa etiam nobis reliquerunt. Nec ulli nato unquam præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi: semper quod*

agat,

335

agat, inueniet, quisquis seriò huc se applicarit. Quanquã igitur arteis plurimùm prouectas cùm à Græcis & Latinis, tum ab Arabibus accepimus: tamen edocti breui tempore, quæ illi ut inuenirent diu elaborauerunt, nobis etiam atque etiam conãdum cætera, quæ desunt, inuenire. Nec *dubium, quin si huic studio nos penitus totósque dederemus, melius quàm ulli antiquorum de artibus omnibus, de rerum naturis, de hominum moribus, de rebuspublicis disputaremus.* Et *quemadmodum natura generi consulens humano superioribus quibusdam seculis protulit egregios homines nonnullos, quanquam perpaucos, qui mundum omnem acie mẽtis uiderint, & mortalium atque immortalium naturas indagarint: sic etiam potest similes proferre, qui beneficio cæli ac maiore afflatu ea referant, ad quæ nondum obseruatio penetrauit, aut consuetudo, quamuis diuturna, uiam mõstrauit obseruationi.* Latet, *fateor, in occulto ueritas: sed eius tractatio quotidie potest gignere plurima, quæ cũ summa delectatione uestigemus:* ἄλλως τ' ἐπειδὴ καὶ τὰς ἐπιδόσεις ὁρῶμεν γιγνομένας καὶ τῶν τέχνων καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, οὐ διὰ τῶν ἐμμένοντας. τοῖς καθεστῶσι, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθοῦντας, καὶ τολμῶντας ἀεί τι κινεῖν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων. *Quàm multa nõdum in artẽ redacta sunt? Quàm multa hoc primùm cognouimus seculo? Quàm multa uenientis æui populus ignota nobis sciet? Quàm multa futuris seculis reseruantur? Ista quæ nunc latent, dies extrahet, & ueniet tempus quo posteri tam aperta nos nescisse mirentur.* Nimi- *rum magna tardè proueniunt, nec in lucem simul omnia*

prodeunt, sed alia ætas aliud addit. καὶ μὴν καὶ τῶν φιλοσόφων οἱ ἐξαιρετώτατοι φασὶν τὰ αὐτὰ ἐν χρόνῳ πολλῷ πολλάκις, μᾶλλον δ᾽ ἀπειράκις εὑρῆσθαι, καὶ κατά τινας τεταγμένας περιόδους τοῦ παντὸς ἐπιστήμας καὶ τέχνας ἐμφανῆναι, καὶ πάλιν ἀφανισθῆναι. *Ita sæpius eadem esse reperta, ac sæpius cōcidisse nationibus sublatis, apud quas illa uiguerant, propter eluuiones exustionésque terrarum, quas accidere statis temporibus necesse est, cùm ad motū primi cœli, unde motus reliqui inferiores & omnis natura pēdet, tum ad errantiū syderum cōiunctiones & separationes, quibus elementa, & quæ ex elementis constituuntur, præcipuè parent. Hanc esse rerum humanarum continuam uicißitudinem, quæ eodem sæpius recidant, uel quòd materia ad similitudines edendas est facilis, uel quòd ex quibusdam terminatis numeris series rerum connexa existit, quemadmodum Pythagoræ prius, deinde Platoni placuit. Sed quoquomodo se res habeat, si temporum memoriam replicemus, comperiemus nullum auctorem ex his quorum scripta extant, exceptis Hebræis, ante tria millia annorum fuisse: quo quidem ex tempore, quantum perspicere possumus, ingenia literis disciplinísque excoli cœperunt. Certè in Græcia, quæ eloquētia & omni genere artium floruit, nullus est scriptor uetustior Homero,* ὥστε φαίνεσθαι Ἕλληνας οὐδεμίαν ἔχοντας δι᾽ ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαίαν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδὲν, ὡς ἐν Τιμαίῳ γέγραπται. *Quin potius qui interiores scrutantur & reconditas literas, opinantur illas primùm apud Aethiopas, Indos & Chaldæos natas, deinde trāsiuisse ad Aegyptios, pòst ad Græcos & Latinos: quorum*

inge-

336

ingenia circa Alexandrum *&* Augustum *maximè eximia in omnibus artibus fuerunt: tandem in* Europa *senescẽtes, ad* Arabas *desciuisse, qui omnẽ* Philosophiã *&* Mathematica *uehemẽter excoluerũt: postremò inscitia grassante, tanquam mortuas multis seculis iacuisse, donec nostra & superiore memoria post expugnatum à* Turcis Byzantium *sese rursus in* Italia, Germania, Gallia, Britannia, Hispania *erigere cœperunt, tanta iam ad omnem uirtutem atque doctrinam facta progreßione, ut hodie non multum aut nihil omninò antiquis* Græcis, Romanis, Arabibúsque *cedatur. Quòd si quis obiiciat multitudinem librorum qui & scripti sunt, & scribuntur quotidie infiniti: respondebo, paucißimos in omnibus linguis & nationibus, in omni disciplinarum genere inueniri absolutè perfectos, planéque eruditos. Quales sunt* Platonis, Aristotelis, Hippocratis, Ptolemæi*: qui non imagines rerum & umbras opinionum consectati,* ἀλλ' ὀρθῶς τε καὶ γνησίως πεφιλοσοφηκότες, καὶ τὰ πράγματα εἰλικρινῆ ἐγνωκότες, ἐθεώρησαν περὶ πάσης ἀληθείας, καὶ οὐσίας τῆς ἀεὶ οὔσης, καὶ ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δοξῶν ἢ φλυαρείων μὴ πλανωμένης. Ἄλλοι δ' εἰσὶν, οἳ ἐπιφυλλίδες, καὶ στωμύλματα χελιδόνων, μουσεῖα, λωβηταὶ τῆς παιδείας, ἵνα κατ' Ἀριστοφάνην εἴπω, *qui eadem centies millies dicant commutatis tantũ uerbis, & ordine inuerso, ociosos & nugatorios commentarios quotidie inculcantes. At quoniam mutantur quotidie hominum instituta, mores, leges, artes, opiniones, magnum facere iudicandi sunt, uel potius optimè mereri de humano genere censendi, qui in tanta rerum incon-*

ſtantia, ac mutabilitate opinionum, inſtructi differendi ratione, & ſingulari facultate dicẽdi, obſcuris lucem, dubiis fidem, confuſis ordinem, incultis elegantiam, faſtiditis gratiam, uetuſtis nouitatẽ, nouis auctoritatem dare ſua ætate poſſunt. Itaque *tametſi ueteres ſcriptores multa dixerunt, & nonnulli ex illis mirabiliter probantur: tamen, ut mea fert opinio, quãtumuis licet excellãt, quamuis plurimi, uel potius innumerabiles præceſſerint, non præripuerunt nobis, ſed præbuerunt potius nouam ſemper facultatem ſcribendi: uidelicet poſt experientiã tam diuturnam, poſt tot exempla, quibus nos inſtruxit antiquitas, poſt tot ætatum inuenta, poſt tam longam rerum omnium magnarum atque reconditarum artium ſcientiam: quæ nouæ illis & inuſitatæ, plus admirationis initiò habebant, quàm cognitionis. Serendum igitur, ſi minus hominibus, qui ſæpenumerò præſenti uirtuti ſunt iniqui, at certè* Deo *optimo maximo: qui nos, ut cætera omnia, quæ ad uictum cultúmque pertinent, ſic literas etiam & libros, ſine quibus hominum uita nulla eſt, non accipere modò à maioribus uoluit, ſed poſteris etiã cum nominis noſtri, ſi quid ad rem facit, memoria prodere.* ἀλλὰ δὴ γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, *qui hæc ad te. Quæ ſi ſcriberem quaſi te erudiens, iurè reprehenderer. Quæ tamen quoniam à ſcribendo alienior paulò nõ ſemel in congreſſibus noſtris uiſus es, utcunque attingenda putaui.* A *me uerò tibi tuiſque omnia paratiſſima exiſtimes uelim: id enim & uirtus tua, & mea conſuetudo in doctos homines poſtulat.* Illud *ad extremum non rogo ſolùm, uerum-*

etiam

337

etiam obsecro: ut quoties tuo commodo poteris, ad nos quàm creberrimè scribas. Hoc nihil gratius facere potes. Habebis autem me in rescribēdo impigerrimum. Vale. Lut. Paris. Cal. Maiis. M. D. XLII.

MANVEL ... BIBLIOTECA IN ROMA

ΛΟΥΔΟΒΙΚῸΣ ῬΗΓΙΟΣ ΓΟΥΛΙΕΛΜῼ ΒΟΥΔ

ΕΥ̓ ΠΡΆΤΤΕΙΝ.

Πολλάκις ἠθέλησα πρότερον ἐνδείκνυσθαι, ὅσην γ' εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ ἤδη ἐκ παιδὸς σοί τε καὶ τοῖς σοῖς ὑπέρευ συγγεγραμμένοις, οἷ δὴ εἰς ὅσον ἀληθές ἐστι τῶν Κελτῶν λογιώτατον, καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπὶ πολυμαθίᾳ καὶ καλλιεπείᾳ διαφερόντως εὐδοκιμούντων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὸν πάνυ. Οὐ μὴν ἀλλά γε τὸ σὸν γέρας πολλοῦ τιμώμενος, τὴν δ' ἀξίωσιν οὐ τὴν τυχοῦσαν εὐλαβούμενος, σεμνότητι δὲ φοβηθεὶς, καίπερ ἐκ φιλοφροσύνης εὖ μάλα ἡδυνομένην, ἀπέστην μέχρι τοῦδ' ἐνοχλεῖν σοι, τῷ ἐπὶ τοῖς πράγμασι δημοσίοις τε καὶ ἰδίοις ὄντι καθ' ἡμέραν. ἕως γ' Ἰάκωβος ὁ Τουσανὸς, πάνυ σοι οἰκείως ἔχων, ὅστις καὶ ἐνίοτ' εἰσῆγε πρός σε, καὶ τὴν σὴν φιλίαν πρῶτος ἐμοὶ ἐκτήσατο, σοί ποτ' ἐπιστέλλειν ἔπεισεν, ὅταν καιρὸς εὔκαιρος ἐγχωρῇ, καὶ τῶν πραγμάτων ἡμῶν ἀφορμὴ ἐνδέχηται. Διεξιὼν γὰρ ὡς ἀσπάζῃ καὶ καταφιλεῖς τοὺς φιλομαθεῖς τῶν νέων, καὶ ἐφιεμένους τῆς καλῆς παιδείας, καὶ προσέτι καταμαθὼν ἐν τούτοις με προθυμότατον ὄντα, καὶ πάντων μάλιστά σε θεραπεύοντα, τελευταῖον θαρρεῖν ἐκέλευσε, πάντα δηλαδὴ ἀναδεξάμενος, καὶ εἰς ἑαυτὸν ποιούμενος τὸ ἁμάρτημα, ὅτι περ ἂν εἴη. Ὁρᾷς μὲν οὖν, ὦ θαυμαστὲ, τίνι ποτὲ γνώμῃ χρησάμενος, καὶ ποίαν προβαλλόμενος πρόφασιν, ὡρμήθην σοί γε τὸ τήμερον ἐπιστέλλειν. Ἀξιῶ τοίνυν καὶ δέομαί σου, ἀντιφιλεῖν με ὑπερφυῶς ὡς φιλοῦντα, καὶ περὶ πλείστου ποιούμενον τὴν σὴν σοφίαν τε καὶ καλοκἀγαθίαν, ἄλλως τε κἂν δίκαιος φαίνωμαι τῆς παρά σου εὐνοίας καὶ φιλανθρωπίας μετεῖναι, καὶ τῆς τιμῆς μετέχειν ταύτης. Εἰ δὲ δοκῶ πράξαι τι ἤτοι νεανικῶς, ἢ ἀναρμόστως που, προσήκει μὴ διὰ τοῦτο ἄχθεσθαι, μᾶλλον δὲ συγγνώμην ἔχειν τῇ ἀφροσύνῃ καὶ φλυαρίᾳ τῆς ἡλικίας ἐμῆς. Ἀφ' οὗ δ' ἦλθον δεῦρο, συνδιατρίβω Ἰωάννῃ Πίνῳ τῷ τῆς Ῥιβίας ἐπισκόπῳ, ὅτῳ συνεστήκεις ἐμὲ ἀπόντα ἐκ Λευκετίας, ὃς δὴ πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, οὐχ ἥκιστα δὲ διά σε ἐδέξατο εὐμενῶς πάνυ. Τὴν οὖν συνουσίαν καὶ συμβίωσιν τηλικούτου ἀνδρὸς τὸ ἀξίωμα, καὶ ὡς εὐδοκίμου καὶ πολυμαθοῦς, τὸ σὸν εὐεργέτημα νομίζω, ὅθεν δὴ πολλὴν χάριν ἔχω. Αὐτὸς δὲ προσαγορεύει σε δι' ἐμοῦ, ἔτι δὲ καὶ Νικόλεως ὁ Βήραλδος ἀνὴρ ἐλλόγιμός τε καὶ ἔνδοξος, καὶ ἐκ πολλοῦ σοι φίλτατος ὤν, ὅστις ἤδη διέτριψεν ἐνταῦθα δύο ὀλίγου δεῖν μῆνας, μεγίστης δηλονότι δίκης ἕνεκεν, ἣν τινὶ ἔχει ἐν τῇ βουλῇ τῇ ἀνωτάτῳ τουτουῒ τοῦ ἄστεος. Ἔρρωσο, καὶ εὐτυχῶν διατέλει. ἐν Θολόσσῃ, Γαμηλιῶνος ἐνδεκάτῃ ἱσταμένου, ἔτει ἀπὸ τῆς θεογονίας χφλς.